



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Synodus Osnabrugensis, Episcopi Francisci Gvilielmi secunda, celebrata  
XX Martii MDCXXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

S Y N O D V S  
O S N A B R V G E N S I S,

S V B

Illustrissimo & Reverendissimo Principe ac Domino,

D. F R A N C I S C O

G V I L I E L M O,

E P I S C O P O O S N A B R V G E N S I,

C E L E B R A T A,

Anno Domini Millesimo Sexcentesimo vigesimo nono, feria tertia post Dominicam Oculi, quæ  
erat vigesima Mensis Martii;

Præfidentibus in eâdem, nomine altememoratæ  
Celsitudinis Sux,

Admodum Reverendis, Prænobilibus, & Doctissimo, Dominis,

S I X T O A L I A V K E M A,

E T

T H E O D O R O M O R R I E N,

Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Præposito & Decano,

E T

A L B E R T O L V C C E N I O,

Protonotario Apostolico, & Reverendissimæ ac  
Illustrissimæ Celsitudinis Sux in spiri-  
tualibus Vicario generali.

S

I N D E X



## I N D E X

## Eorum, quæ in hac Synodo continentur.

O Rdo & ceremoniæ Synodi.  
Commissio præsententiæ Synodi.

## Constitutionum Synodaliū

CAP. I. De Synodo majori Osna-brugensi typis data, & ejus copia ab Ecclesiasticis procuranda.

CAP. II. De habitu Clericali competente.

CAP. III. De funerum & exequiarum ritibus Catholicis reducendis.

CAP. IV. De nominibus communicantium & non communicantium in

Paschate notandis & exhibendis.

CAP. V. De nominibus Conuersorum in Civitate & Diœcesi Osna-brugensi.

CAP. VI. De Inventario supellectilis sacræ literarum, & rationibus Ecclesiarum exhibendis.

Speculum seu compendium vitæ Sacerdotalis & Clericalis, ex Pontif. Rom. prælegendum in singulis Synodis; & Orationes conclusivæ Synodi.

## ORDO ET CÆREMONIÆ

## servatæ Synodi.



**E**ria tertia post Dominicam Oculi, circa octavam horam, comparentibus ad signum magnæ campanæ in Cathedrali Ecclesia Dominis, Præposito, Decano, cæterisque Cathedralis Ecclesiæ & Collegiarum Canonicis; item diversarum Religiosarum, respectivè Abbat. Prioribus, Guardianis; Paribus confessoribus, & Civitatis ac Diœcesis Pastoribus & Curatis, &c. cantatum est Sacrum de sancto Spiritu, per Reverendissimi Episcopi in spiritualibus Vicarium generalem. Quo absoluto, processum fuit ad locum consuetum Synodi servandæ; ac primum Deputati Synodi Præsides in scanno, tapete instrato, & ad caput fere majoris Aulae collocato, ita confederunt, ut Domini Præpositi in medio consistentis dexteram Dominus Decanus, sinistram Dominus Vicarius in spiritualibus generalis, &c. clauderet.

Incepit vero fuit hymnus, Veni creator Spiritus, per Dominum Vicarium in spiritualibus; quem profecuti sunt à Clero præsentis; subjunctâque Collectâ de sancto Spiritu, ex Pontificali Romano, præparatoriam Orationem clara voce pronuntiavit idem Dominus Vicarius:

Adsumus, Domine, sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus; quod gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare: esto solus

& suggestor & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & ejus Filio, nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summe diligis æquitatem; ut sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio numeris vel personæ corrumpat; sed junge nos tibi efficaciter, solius tuæ gratiæ dono; ut firmus in te unum, & in nullo deviemus à vero; quatenus, in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna. R. Amen.

Quâ sinitâ, omnibus confidentibus, prædictus Dominus Vicarius in spiritualibus, assurgens, præsentem Synodum his verbis est allocutus:

Admodum Reverendi, Prænobiles, Venerabiles, Religiosi, & Honorabiles viri, ac Domini, &c. Reverendissimus & Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRANCISCVS GVILIELMVS, EPISCOPVS OSNABRVGENSIS, &c. Dominus noster clementissimus, cum animadvertet instante hac Synodo Quadragesimali, aliis se negotiis & occupationibus gravioribus impeditum, quo minus ad hanc Synodum accedere, eique personaliter præsidere posset; ne quid tamen eorum, quæ ad reformandos mores ac disciplinam Ecclesiasticam restaurandam ac confirmandam facere possunt, omittatur aut suspendatur; Admodum Reverendis & Prænobilibus viris ac Dominis, Domino Præposito



posito & Domino Decano Cathedralis Ecclesie, una mecum in mandatis dedit, ut, Celsitudinis Suae nomine, huic Synodo celebranda praesideamus, eaque omnia faciamus, curemus & praestemus, fierique ac praestari curemus, quae ex jure & veteri ac laudabili more fieri debent ac consueverunt; prout in hanc rem Celsitudo Sua speciale mandatum clementissime est impertita, & singulares quasdam ordinationes, in hac Synodo promulgandas, simul transmisit.

*Tradita deinde est Commissio Notario, quam is clara voce publice praelegit, tenoris subsequens:*

**F**RANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, Praepositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, Dominus in Wald, &c. Venerabilibus, Nobilibus, atque doctissimo, devotè Nobis in Christo dilectis atque fideli, Sixto à Liaukema, Theodoro Morrien, & Alberto Luccenio, respectivè Cathedralis Nostrae Ecclesiae Osnabrugensis Praeposito & Decano, & in spiritualibus Vicario Nostro generali, salutem in Domino. Venerabiles, Nobiles, doctissime, devoti, Nobis in Christo dilecti, & fidelis. Cum per Nostrae gravissimae sollicitudinis publicas occupationes impediamur, quo minus futurae Synodo, quae in Civitate Nostra Osnabrugensi, feria tertia post Dominicam Oculi, incidentem in vigesimum diem mensis Martii, ex laudabili majorum Nostrorum consuetudine celebrabitur, personaliter interesse & praesidere possimus; Nos vobis, de quorum prudentia, zelo, pietate & legalitate, singularem gerimus fiduciam, praesentium tenore in Domino committimus, ut

dictae Synodo, Nostro nomine, praesideatis, & Synodales hasce, quas vobis transmittimus, constitutiones promulgari curetis, ac ad earum observationem Clerum Nostrae Dioecesis debite admoneratis, & prout juris est, admoneri faciatis, & quicquid Nos in dicta Synodo personaliter agere possemus, Nostro nomine peragatis, insuper etiam illius Synodi acta, & praesentium & absentium nomina ad Nos in scripto referatis. Haec est feria Nostra voluntas, manu & Sigillo Nostro roborata. Valet in Domino. Datum ex arce Nostrae solitae residentiae Episcopalis Iburgensis, decima octava Martii, anno millesimo sexcentesimo vigesimo nono.

FRANCISCVS GVILIELMVS,  
Episcopus Osnabrugensis.  
Locus Sigilli subimpressi.

**F**inita lectione Commissionis, Dominus Vicarius, assurgens, signum dedit Reverendo Patri Wilhelmo Asschendorff, Societatis IESV Presbytero, & Ecclesiae Cathedralis, ut is collationem seu orationem Synodalem haberet, qui, pulpitem ascendens, quadam pro temporis & personarum ratione dixit.

*Concione Synodali peracta, Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi Vicarius, iterum assurgens, praesentes monuit, ut ad lectionem Synodalem Statutorum attenderent, quae, ex manibus admodum Reverendi Domini Praepositi Cathedralis Ecclesiae accepta, Reverendus Dominus Conradus Birenius, in eadem Ecclesia Vicarius & Curatus, ex suggestu publice praelegit.*

SEQVNTVR CONSTITVTIONES  
SYNODALES.

**F**RANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, Praepositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, & Dominus in Wald, &c. Venerabilibus, Religiosis, Honorabilibus, Nobis in Christo sincere dilectis, atque devotis, Ecclesiae Nostrae Cathedralis Praeposito, Decano, & Capitulo, omnibusque & singulis Ecclesiarum Collegiarum, Regularium & Parochialium, Abbatibus, Praepositis, Decanis, Prioribus, Guardianis, Pastoribus, Rectoribus, Clericis, & personis Ecclesiasticis, quibuscunque nominibus censeantur, aut in quacunque Ecclesiastica dignitate seu functione per Civitatem & Dioecesis Nostrae Osnabrugenses constitutis, salutem in Domino. Cum Nos, inter ipsa auspicia inauguralis Nostrae in Civitatem Nostram Osnabrugensem ingressus, atque inter ingruentia un-

decunque molimina motuum bellicorum, nihil magis in votis habuissimus, quam ad sanctam Religionem Catholicam restituendam, corrigendos excessus & reformandos Cleri mores, profliganda vitia, virtutesque inferendas, animum intendere, illud ante annum indicto ac singulariter conscripto Synodali congressu egimus, ut generales quaedam certaeque regulae, tam ad doctrinam Christianam, Sacramentorum administrationem, & alias functiones Ecclesiasticas, quam ad mores repurgandos, & honestatem, libertatem ac immunitatem Ecclesiasticam reparandam ac tuendamque pertinentes, in ordinem redigerentur; quas etiam debite promulgavimus, publicavimus, confirmavimus, & ut ad omnium & singulorum notitiam devenire possint, praelo commisimus.



CAP. I. De Synodo majore Osnabrugensi typis data, & ejus copia ab Ecclesiasticis procuranda.

MAndamus vero, tenore præsentium, districtè & sub arbitraria Nobis pœna, omnibus & singulis Prælati, & aliis in dignitatibus & officiis Ecclesiasticis constitutis, Canonicis, Pastoribus, Curatis, Sacellanis, & aliis Clericis ac beneficiatis quibuscunque, ut, post publicationem hanc typis factam, exemplaria sufficientia hujus Synodi sibi comparant, nec ullus sit, qui non exemplar harum constitutionum Synodaliū habeat, diligenter legat & requisitus ostendere possit.

<sup>1</sup> Gen. 49.  
v. 29. &  
50. v. 2.  
Ep̄ seqq.  
& v. 26.  
Deut. 34.  
v. 8.

CAP. II. De habitu clericali competente.

HAbitum clericalem, statui, honori & ordini Ecclesiastico convenientem, in multis Ecclesiasticis adhuc desiderari, nec in hoc, tam generalibus functionibus canonicis, etiam pœnalibus, quam Prædecessoris Nostri & Nostri Synodalibus constitutionibus, satisfactum esse, animadvertimus. Quare iterum post tot monitiones serio mandamus omnibus & singulis, sub pœna Iuris & alia Nobis arbitraria, ut legum Ecclesiasticarum & iustis Nostri obtemperant.

CAP. III. De Exequiarum ac funerum Catholicis ritibus reducendis.

CVræ mortuorum, & piarum Exequiarum antiquitati, utrumque Testamentum suffragatur; <sup>1</sup> magnaque religione præcis temporibus Christianorum funera sunt curata. Quæ ratione Nos etiam volumus, ut eorum funera, qui in vera religione ac cum pietate dormitionem acceperunt, competenti modo ducantur; mandamusque tenore præsentium, ut, in sepultura mortuorum, Catholici ritus ac cæremoniæ veteres in usum iterum revocentur, & secundum Pastorale Romanum exercentur; neque existimetur superfluum esse aut inane, si mortuis iusta funebria <sup>2</sup> fiant, quod ea ad mutuam inter nos benevolentiam declarandam, spem resurrectionis profitendæ & excitandam & mortalitatis admonitionem multum valeant.

CAP. IV. De nominibus communicantium & non communicantium in Paschate notandis & exhibendis.

CVm etiam, ut oves Nostras, quæque ad Covile gregis Nostri pertinent, propius agnoscamus, plurimum Nostri interit; volumus, ut singuli Pastores quarumcunque Parochialium Ecclesiarum omni modo satagant, ut omnium in Paschate confitentium & communicantium nomina, quatenus fieri potest,

<sup>2</sup> Chrysost. hom. 4. in 2. ep̄st. ad Hebr.

ordine, per vicos, plateas, & familias, diligenter notata, intra tres septimanas, à Paschate sequentes, Nobis aut Nostro Vicario in spiritualibus exhibeant; uti etiam non communicantium nomina denotent. Per Paschale autem tempus intelligimus illud, quod à Dominica Lætare usque ad Dominicam in Albis inclusive intercedit; quo tempore omnes Catholici præcepto S. Matris Ecclesiæ satisfacere teneantur.

CAP. V. De nominibus conversorum in Civitate & Diœcesi notandis & exhibendis.

I<sup>1</sup>tem mandamus, ut eorum qui in Civitate Nostri Osnabrugensi ad fidem Catholicam redeunt, nomina singulis septimanis, in oppidis vero & pagis, singulis mensibus, Nobis aut Vicario Nostro tradantur à singulis Curatis, & Religiosis qui confessiones de Nostra licentia vel suorum superiorum excipiunt.

CAP. VI. De Inventario supellectilis sacre literarum ac monumentorum, & rationibus Ecclesiarum exhibendis.

E<sup>1</sup>x gravibus causis, animum Nostri ad hoc moventibus, & ne Ecclesiæ Diœcesis Nostre ornatu & apparatu necessario defertæ permaneant, volumus, ut Pastores, intra mensem ab harum promulgatione sequentem, omnium & singulorum mobilium, Calicum, hierothecarum, Reliquiarum, paramentorum sacerdotalium, corporalium, mapparum & quorumcunque instrumentorum utensilium, & ornamentorum Ecclesiasticorum, legitimum Inventarium ad Nos aut Nostri Vicarium transmittant. Item designationes literarum, monumentorum ac Iurium Ecclesiæ, ac ubi, quomodo, quibus sub custodibus ac custodiis ea conserventur.

Item, quatuor annorum ultimo elapsorum rationes Ecclesiæ cum paratione & subscriptione tam Pastoris cujuscunque loci quam eorum qui reditus administrant.

Præterea, ut vos omnes & singuli de Clero Nostro compendium eorum, quæ proxime ad vitam & disciplinam Ecclesiasticam proximique ædificationem pertinent, veluti in speculo compendiosè contueri possitis; volumus, ut singulis confessibus Synodalibus, in fine, ea quæ in Pontificali Romano succincte continentur, Nostro nomine vobis prælegantur; ut sequitur:

FRATRES dilectissimi, & Sacerdotes Domini, cooperatores ordinis Nostri estis. Nos, quamvis indigni, locum Aaron tenemus; vos autem locum Eleazari & Ithamari. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta duorum Discipulorum estis. Nos Pastores vestri sumus, vos autem Pasto-



Pastores animarum, vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo Pastori nostro, Domino Iesu Christo, vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, fratres dilectissimi, videte periculum vestrum. Admonemus itaque, obsecramus fraternitatem vestram, ut, quæ vobis suggerimus, memoriæ commendatis, & opere exercere studeatis. Imprimis admonemus, ut vita & conversatio vestra sit irreprehensibilis. In domibus vestris suspectæ mulieres non cohabitent. Officium vestrum horis certis decantate. Nullus, nisi jejunus, Missam celebret, & non in vestibus communibus, sed sacris & nitidis, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola & casula; quæ ad alios usus non serviant. Missas religiosè celebrate. Corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, cum omni reverentia & tremore sumite. Corporalia mundissima sint. Vasa sacra propriis manibus abluite, & extergite diligenter. Nulla foemina ad Altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Altare sit coopertum mundis linteis, saltem tribus diversis. Et desuper nihil ponatur, nisi Reliquiæ, ac res sacræ, & pro sacrificio opportuna. Missale, Breviarium, & Martyrologium unufcuique habeat. Ecclesiæ vestræ bene sint coopertæ, & munda. In sacristiis, sive secretariis, aut juxta Altare majus, sit locus præparatus ad infundendum aquam ablutiois corporaliū & vasorum factorum ac manuum, postquam sanctum Chrisma aut Oleum catechumenorum vel infirmorum tractaveritis: ibique pendeat vas cum aqua munda pro lavandis manibus Sacerdotum, & aliorum, qui rem sanctam & officium divinum sunt peracturi, & propè linteum mundum, ad illas abstergendum. Atria Ecclesiæ sint bene munita. Nullus, sine scitu & consensu Nostro, per potestatem sæcularem, Ecclesiam obtineat. Nullus Ecclesiam, ad quam intitulatus est, dimittat, & ad aliam, quæstus gratia, se transferat. Nullus plures Ecclesias, sine titulo, & contra sacrorum Canonum dispositiones, nancisci præsumat. Nullatenus etiam una Ecclesia inter plures dividatur. Nullus extra Ecclesiam in locis non consecratis celebret. Nullus alterius Parochianum, nisi itinerantem, & tunc de Rectoris sui licentia, ad communionem recipiat. Nullus in alterius Parochia, absque proprii sacerdotis licentia, Missam celebret. In celebratione quisque calicem, & oblata, non circulo aut digitorum vacillatione, ut quidam faciunt, sed junctis & extensis digitis, cruce signet, sicque benedicat. Calix & patena sint aurei vel argentei, non ærei aut aurichalcei, vitrei vel lignei. Quisque Presbyter clericum habeat, vel scholarem, qui cum eo Psalmos cantet, Epistolam & Lectionem legat, & in Missa respondeat. Ipse quoque Presbyter infirmos visitet, & reconciliet, & juxta Apосто-

lum propria manu communicet, Oleo sancto inungat. Nullus præsumat tradere communionem laico, aut foeminae, ad deferendum infirmo. Nullus pro baptizandis infantibus sive adultis, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat. Per negligentiam vestram nullus infans sine Baptismo, & adultus sine communionem, pereat. Nullus vestrum sit ebriosus, aut litigiosus. Nullus arma ferat; nullus canum aut avium jocus inserviat; nullus in tabernis bibat. Quique vestrum, quantum sapit, de Evangelio, Dominico & cæteris festivis diebus, suæ plebi annuntiet. Verbum Domini prædicat. Curam pauperum, peregrinorum, viduarum & orphanorum habete; ipsosque peregrinos ad prandium vestrum vocate. Estote hospiales, aliis exinde bonum exemplum præbentes. Singulis diebus Dominicis, ante Missam, aquam, qua populus aspergatur, benedicite; ad quod proprium vas habete. Sacra vasa, & vestimenta sacerdotalia, nolite negotiatori, aut tabernario, in pignus dare. Minus digne poenitentem, cujuscuque rei gratia, ad reconciliationem non adducite, neque ei reconciliationis testimonium perhibete. Vsuras non exigite. Nullus etiam res, possessiones, aut mancipium Ecclesiæ vendere, commutare, aut quocunque ingenio præsumat alienare. Nullus decimam, ad alium pertinentem, recipiat. Nullus poenitentem, carnem manducare, aut vinum bibere invitet, nisi pro eo tunc Eleemosynam fecerit. Quisque fontes baptismales lapideos habeat bene mundos; quos si habere non poterit, vas aliud, ad hoc opus solum deputatum, teneat. Omnibus Parochianis vestris Symbolum Apostolorum, & orationem Dominicam, iniquate. Ieiunia Quadragesimæ, Quatuor temporum, & alia Ecclesiæ mandata, significatè observanda. Ante Quadragesimam quarta feria populum ad peccatorum confessionem invitate, & confessis juxta qualitatem criminum poenitentiam injungite. Tribus temporibus in anno, id est, Nativitate Domini, Pascha, & Pentecoste, omnes fideles accedere ad communionem Corporis Domini nostri Iesu Christi admonete; & ne desit ullus, quin saltem in Pascha communicet. Certis temporibus conjugatos abstinere ab uxore exhortamini. Nullus vestrum rubeis, aut viridibus vel laicalibus vestibus utatur. Diem Dominicam, & cæteras festivitates, absque opere servili, à vespera in vesperam celebrari docete. Cantus & choreas mulierum in atrio Ecclesiæ prohibete. Incantationes super mortuos, nocturnis horis à vulgo fieri consuetas, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nec quis vestrum in eorum præsentia celebrare præsumat; quod etiam plebi nunciate. Et nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi prius



prius nuptiæ temporibus ab Ecclesia permissis publicè fuerint celebratæ. Quod nullus ad raptam vel consanguineam accedat, aut alterius Sponsam ducat, omnimodis prohibete. Porcarios & alios pastores, saltem Dominica die, faciatis venire ad Missam. Patrinos, ut filios Symbolum & Orationem Dominicam doceant, aut doceri faciant, exhortamini. Sacramentum Eucharistiæ, sanctum Chrisma, & Oleum Cathecumenorum, ac Sanctum, seu Infirmorum, in Ecclesia, in loco mundo, concordenti, & securo, sub serâ & fidâ custodiâ diligenter seruate. Quisque vestrum expositionem Symboli, & Orationis Dominicæ, juxta orthodoxorum Patrum traditiones, penes se habeat, easque, atque orationes Missarum & Epistolas, Euangeliâ, & Canonem, bene intelligat; ex quibus, prædicando, populum sibi commissum sedulo instruat, & maximè non bene credentem. Introitum Missæ, Orationes, Epistolam, Graduale, Euangelium, Symbolum, & cætera non secreta, alta & intelligibili voce proferat; Secreta vero, & Canonem, morosè & distinctè submissa voce legat. Psalmorum verba, & distinctiones, regulariter cum canticis consuetis, intelligibiliter pronunciet. Symbolum S. Athanasi de Trinitate & fide Catholica memoriter teneat. Exorcismos, & orationes ad Cathecumenos faciendas, ac reliquas preces super masculum & fœminam, pluraliter vel singulariter respectiue, distinctè proferat. Ordinem baptizandi, & ad succurrendum infirmis, reconciliationis & commendationis animæ, & in agendis exequiis defunctorum, juxta modum Canonicum, obseruet. Exorcismos & benedictiones salis & aquæ pertinenter legat. Canticum diurnum & nocturnum sciat. Computum etiam minorem, ad inveniendam literam Dominicalem, tempus intervalli diei Paschæ & majorum mobilium festorum, non ignoret. Volumus autem, Fratres dilectissimi, quatenus, quæ Nostra percepistis traditione, bonis studeatis operibus adimplere, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

*Absoluta lectione Constitutionum, & hujus vitæ clericæ compendii, ac nemine ulterius aliquid proponente, prædictus Dominus Vicarius, seriam reiteratam commonitionem diligentis observationis prædictorum statutorum, ac Decretorum majoris Synodi Osnabrugensis, & aliorum Ecclesiasticorum Canonum, ad mores vitam & honestatem Clerico-*

*rum pertinentem, interposuit; deinde, proximam Synodum consueto tempore indicit; cui, sicuti & aliis sequentibus, insinuat, omnes ex veteri more, sine speciali indictione vel citatione, loco & tempore suo occurrere & interesse debere.*

*Leetis deinde per Notarium nominibus omnium, & absentium singulariter notatis, recitata fuit, per Reverendissimi & Illustrissimi Principis & Episcopi Vicarium in spiritualibus generalem, deprecatio ex Pontificali Romano.*

## O R A T I O.

**N**Vlla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffensè possit tuæ voluntatis iudicia experiri; & ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa misericors Deus, quod perfectò æquitate sine concludere peroptamus. te in nostris principiis occursorem poposcimus; te in hoc sine iudiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus; scilicet, ut ignorantia parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris; & quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem aut præceps forsitan voluntas impulerit iustitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut, si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante indulgentiam sentiamus, ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, à cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum, qualiter & transgressores venia, & confitentis tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

*Subjunctoque Versic.*

V. Saluum fac servum tuum.

R. Deus meus sperantem in te.

*Orationibus subsequens:*

**D**Eus, omnium fidelium Pastor & rector; famulum tuum FRANCISCUM GUILIELMUM, quem Pastorem Ecclesiæ Osnabrugensis præesse voluisti, propitius respice; da ei, quæsumus, verbo & exemplo, quibus præest, proficere, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam.

**O**mnipotens sempiternæ Deus, cujus spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur: exaudi nos, pro universis ordinibus supplicantes; ut, gratiæ tuæ munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dominum &c. in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus..

*cum benedictione ac consalutatione, soluta est Synodus, in nomine Domini.*

*Amen.*